

Z d
5825



8

M

L

A

I

GO

UNIVERSITÄTS- und
LANDESBIBLIOTHEK SACHSEN-ANHALT
MAGDEBURG



DE
PERILLVSTRI GEN-
TE REPHVNIA
BREVITER DISSERIT

ET
MAECENATIBVS, PATRONIS
AC
LITERARVM FAVORIBVS
ORATIONES
A DVOBVS PERQVAM GENEROSIS
EQVITIBVS

PRID. KAL. OCTOBR. A. R. S. CID IDCC LX.

IN LYCEI AVDITORIO MAJORI
HABENDAS
DEMISSE OBSERVANTERQVE COMMENDAT
GOTTLOB HENRICVS SCHMERBAVCH R.

L V B E N A E
IMPRESSIT IOHANN MICHAEL DRIEMEL.




DE
PERILLVSTRI GEN
TE REPHVNA
BREVITER DISSEKIT

ET
MACHENATIBVS PATRONIS

AC
LITERARVM FAVORIBVS
ORATIONES
A DVOBVS PERQVAM GENEROSIS
LOQVITIBVS

IN TVCI AVDTORIO MAIORI
HABENDAS
PRAESIDE OPTIMO ANTONIO COMENDAT
GOTTLIO HENRICH'S SCHNEERWACH R.

L. W. B. E. A. E.
IMPRESSE JOHANN MICHAEL PRAESIDE



li,
ven
Ha
vin
Ch
eju





Q. D. B. V.



Admirabilis est *οικονομία* humanae salutis Evangelica, & tanto magis hominum investigationem, licet in ea maxime sint curiosi, superat, quanto sapientius ab ipso Deo Immortali, eum in finem, ut hominibus rationem suggerat, ad veram perveniendi, æternamque vitam, est instituta. Habet in ista *οικονομία*, quod scrutetur mens humana, divino cultu imbuta: Habent, in quo exerceant, homines Christiani, fiduciam, quæ in solo Deo est reponenda, ejusque promissionibus, quibus non solari modo possunt

A 2 vitam

vita molestias, seculique ærunnas, sed, dum eas solantur, spem perfectissimæ beatitudinis & æternæ corroborant ac confirmant

In istis admirabilibus cum multa singulariaprehenduntur, tum maxime id *παράδοξον*, vel ipsis veris Divini æternique Numinis cultoribus, est visum, tot mala, tot vexationes in Christi familiam cooptatis evenire, ipsosque sapius cruentissimo atrocissimoque mortis genere fuisse affectos. Hi, si didicerint, omnes calamitates, fortunarumque & ipsius, qua quidem nihil hominum generi est carius, vitæ iacturam, ad Christianorum hominum valere felicitatem, illosque sine his veram æternamque salutem non posse obtinere, ab hac admiratione discedentes, omnia adversa animo perferent sedato ac tranquillo, & tunc denique intelligent, præclare GREGORIVM MAGNUM dixisse: *Divinam ἐνοουσία, & vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfecte qui cognoverit, ea, que in terrenis amaverat, libenter cuncta derelinquit: in comparatione eius vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit, inardescit in cælestibus animus, nihil in terrenis libet, deforme conspicitur, quicquid de terrene rei placebat specie, quia sola prætiosa margarite claritas fulget in mente. *)* Hæc rite perpendicularibus singulæ Christianorum hominum calamitates nota, fiduciæ, in Deo collocandæ, sunt firmamenta. Nam

*) In Sermone de Conversione ad Cleric. c. XXX. f. 106. b.

re perspicunt ipsa, ea, quæ παράδοξα fuerint visa, divi-
næ esse sapientiæ in cœtum suum documenta. Mitto iam
reliquas misérias, calamitatesque, unam illam, pro insti-
tuti ratione, consideraturus, quæ maxima inter ceteras
habetur, nempe exsilium. De hoc audire liceat, quid
Polynices interrogatus

Quid? patria carere num magnum est malum?

Respondet:

*Est maximum, & re majus, quam dici queat. *)*

Facile quidem aliis, qui exsules carent patria, id conce-
dimus; Sed exsilium, quod religionis causa suscipitur,
nullum non modo malum hominibus videtur Christia-
nis, sed maxima potius secum fert commoda, majora-
que, quam dicere possumus. Non enim potest esse mi-
ser, qui ob religionem, & ob probitatem misérias per-
fert, quod, Deo propitio, nihil accidere possit, quin
utile sit ac salutare, & Deus ipse largissimus amissorum
sit restitutor. Ego certe, quoties mente mecum agito,
fit autem id sæpius, quæ divina fuerit providentia in ex-
sules ob religionem, quantisque eos, eorumque posteros
ornaverit beneficiis divinum illud ac præpotens Numen:
Toties, non sine summo animi gaudio, in hac divina pro-
videntia novum robur, & novum, idque firmissimum,

A 3

ar-

*) PLVTARCHVS *de exsilio ex translatione Guilielmi Xylan-
dri P. II. Ethicorum p. 642.*

argumentum ad probandam religionis Christianæ veritatem, animadverto. Prædixerat humanæ salutis restaurator, hæc cultoribus suis eventura. Divinaverat, edito oraculo, suos, variorum criminum inculatos, opibus, omnibusque fortunis & privatum iri, & eiecctum, a cæco impetu abreptis. Verum simul etiam, ne trepidantes animum, ob instantia mala, plane desponderent, istis fide confirmarat, hæc exsiliu incommoda, hanc bonorum iacturam, se multiplicibus commodis refarturum. Audiamus ipsa Servatoris nostri Optimi Maximi, verba: *καὶ παῖς, ὃς ἀφῆκεν οὐκίας, ἢ ἀδελφῆς, ἢ ἀδελφῶς, ἢ πατέρα, ἢ μητέρα ἢ γυναῖκα, ἢ τέκνα, ἢ ἀγροῦς, ἔνεκεν τῷ ὀνόματός μου, ἐκατόν-τα πλάσινα, λήψεται, καὶ ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσει.* Non MATTHAEVS, *) solum hunc Christi sermonem memoria ac literis prodidit, sed duo etiam, præter hunc, Scriptores Sacri, nempe MARCVS **) & LVCAS, ***) licet quædam in verbis partim sint mutata, partim adiecta. Addit uterque hanc rerum amissarum restitutionem fore *ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ.* Haud infrequens est in literis Sacris promissio, Deum etiam suos, rebus humanis, esse ornaturum. Ipse humanæ Salutis Stator de mansuetioris animi hominibus dicit: *μακάριοι ὁ πρᾶξις ὅτι αὐτοὶ κληρονομήσουσι, τὴν γῆν.* ***) Et D. PAVLLVS pietati erga Deum,

*) *Matth. XIX. c. 29.*

**) *Marc. X. c. 30.*

***) *Luc. XIII. c. 29.*

****) *Matth. V. c. 5.*

um, cum futuro præmio, in præfenti quoque, eam contentibus, vitam attribuit suavissimam. *) In hac itaque iam vita, illi, qui mala, ob sacra, verumque Dei cultum sunt perpeffi, perferent, Deum Immortalem ipsos benigniffime respicere, & variis beneficiorum generibus exornare

Deinde D. LVCAS multiplicem amifforum faltem promittit reftitutionem, quam D. MATTHAEVS, centuplicem fore, affirmit. Quilibet facile intelligit patrem matrem, & reliqua per distributionem, effe pofita, & fimul debere fumi pro poffeffionibus omnibus, & quæ ad huius vitæ fpectant folatia, **) & hac ratione illud centuplum vel multiplex foenus eft interpretandum, nimirum pro eo, quod quis poffidere, & quod ipfi in hac vita gaudio folatioque effe potefit. Præclare B. CALO-VIVS ad hunc locum: ***) *Centuplex, inquit, fœnus non intelligitur de iisdem, qua fubftantiam & numerum, fed de fimilibus, & eodem loco habendis, quia loco corporalium parentum, fratrum, filiorum, facultatum, fpirituales, centuplum præfiantiores, recipimus hic & in futuro feculo*

D. MARCVS autem, quod probe obfervandum,
pro-

*) 1. *Timoth. IV. c. 8.*

**) *Conf. IO. CLERICVS in annotat. ad HAMMONDVM ad 2. Petr. III. c. 7.*

***) *in Bibliis illustratis f. 372. b.*

promissis his amplissimis addit, *μετὰ διωγμῶν*, quod SE-
BASTIANVS CASTELLIO in Latinum vertit, inter
adversa, Auctor versionis, quam dicimus, Vulgatæ, cum
persecutionibus. Consentit cum hac B. LVTHERVS,
fed quare illud a Sancto Spiritu est adiectum? Eum, pu-
to, in finem, ne quis sibi felicitatem fingeret mere hu-
manam, fed semper potius, inter adversa, animum eri-
geret cœlestium æternarumque rerum expectatione. Con-
sentiunt itaque inter se hi sacri scriptores, & alter quasi
alterum explicat

Quod autem ad ipsa Servatoris nostri verba atti-
net, nemo temere affirmabit, hæc spectare saltem ad
Apostolos, & D. PETRI quæstionem, quæ commoda
sibi sint futura, cum omnia reliquisset, ansam, ad hæc
enuncianda, dedisse. Præterquam enim, quod omnes
veteres disciplinæ Salutariæ Doctores *) hæc verba de
omnibus Christianis hominibus dici affirmant, ipsa eti-
am Christi docendi ratio id evincit, qui discipulis dicta,
semper fere ad eos applicat, qui in familiam suam essent
cooptandi. Respicit saltem comma 28. c. XIX. MAT-
THÆI Apostolos, is autem, quem in medium protu-
limus, locus, pertinet ad omnes Christianos homines,
qui, quo demum id fiat tempore, religionis Christianæ
cau-

*) Collegit operose eorum sententias Cornelius Cornelis a Lapi-
de in Comment. ad IV. Evangel. f. 375. 399.

causa, iacturam rerum suarum sint facturi. Hæc autem
 verba, prout uberiori haud indigent explicatione, ita mi-
 hi non possum temperare, quin elegantissimam HEN-
 RICHI HAMMONDI *παράφρασιν* adiiciam: *) *quicumque,*
inquit, mei causa, commodis quibusdam aut possessionibus vale-
dixerit, quæcumque illa tandem sint, tantum abest, ut detrimen-
tum patiatur, ut in hac ipsa vita multo plura accepturus sit:
quemadmodum qui tempore messis, abundantissimum habet semi-
nis sui proventum, & laborum suorum maximum premium
 Cap. XIII, 8. & deinceps Luc. XVIII, 29. addit: *preter*
ea, que in celo postmodum accipiet. Et quidni Deus Immor-
 talis hos, qui vivi sunt gloriæ ipsius, & restauratæ per
 Christum salutis, testes, qui iussibus divinis, ab ipso San-
 cto Spiritu acti, obtemperantes, omnia humanâ infra se
 ducunt, eumque ducem sequuntur, omnis generis benefi-
 cius velit ornatos? Horum tanto spectatior, in Deo collo-
 cata, est fiducia, quanto est certius, eos primorum Se-
 culorum Christianis hominibus esse similes, qui bona, o-
 pes, & vitam ipsam pro Christianæ religionis veritate, lu-
 bentes amittere non dubitarunt. Equis, quæso, autem
 hominum Christianorum, divinam veritatis cœlestis po-
 tentiam vim atque virtutem, se in his manifestantem, non
 miretur? Equis non exosculetur exsertam & venerandam
 Dei Immortalis manum, in grege sibi, inter tot calamita-
 tes & adversa, fulcitando, interque extrema pericula con-
 fer-

*) *In Novo Testamento ad locum Matth. XIX. 29. Amstelod.*
cl. b. lxxviii.

servando, manifestissimis se indiciis prodentem? Equis non istis, ob sacra vexatis, summam gratuletur felicitatem? His enim Benignissimum illud atque aeternum Numen non amissa solum restituit, sed in primis etiam posteros ipsorum tot beneficiorum generibus cumulat, ut nunquam non certi, de gratia & praesidio divino, esse possint. Nec aberrabo a vero, affirmans, in posteris tunc centuplex illud foenus tanto evidentius conspici, quanto magis omnia illis bene feliciterque succedunt, rebusque etiam a Deo humanis, exornantur

Multis id probare possemus exemplis, ex historia, quae in re momentum habet Christiana, desumptis; sed nimis longum foret, praesertim cum nulla fere sit regio, quae non alat religionis causa exfules, eosque videat & felices & fortunatos. Sufficiat in praesenti PERILLVSTRIS GENS REPHVNIA, quae omnia, haecenus dicta, suo satis superque exemplo, in illustri posito monumento, confirmat. Quod itaque ad Aeterni Praepotentisque Numinis valeat gloriam, de hac inclyta Gente, Divinae providentiae teste, brevibus differemus, & ea, quae perbenevole nobiscum fuere communicata, afferemus

Antiquissima & Perillustri REPHVNIORVM GENS, splendidissimis Rheni Superioris Equitibus annumeratur, & eam ob causam in libris, *) in quibus Equitum gentilitia

*) e. g. In Io. Siebmachers *Neuen Wappen Buche Nurnberg*. 1605

ria insignia typis sunt exscripta, inter hos, generosa Stirpe oriundos, Eos deprehendimus, & proprio nomine REPHVN A FERSHEIM appellantur. Non iam ultimas Gentis hujus origines illustrabimus, sed, pro instituti ratione, ex recentioris ævi annalibus, producemus

IOANNEM REPHVN A FERSHEIM

Hic manu fortis ac consilii plenus, castra Caroli V. Imperatoris est secutus, & Chiliarcha prælio, apud Muhlbergam facto, interfuit, Anno, supra millesimum quingentesimum, quadragesimo septimo. Militiæ deinde pertæsus, in terras Franconicas se contulit, & S. R. I. Feuda, quæ dicimus, immediata, GOEPMANSBIEL & REISACH pretio paravit impenso, vel, ut Istorum formula utamur, titulo oneroso. Haud diu in obscuro, his in regionibus, ejus fuit virtus. A Serenissimo enim Marchione ac Principe Onoldino tribunali redituum est præfectus, & ita se gessit, ut omnes ministerii sui rationes conficeret, & fidei integri, tatisque laudem, perenni ac perpetuo studio, conservaret. Uxorem duxit ANNAM MARGARETHAM natam AB EBLEN, ex qua unicum & sui nominis & virtutis heredem procreavit

IOANNEM SIGISMVNDVM REPHVN.

A FERSHEIM.

Hic, mutato naturæ ordine, a Parente sepultus, unicum ejusdem nominis filium reliquit

IO. SIGISMVNDVM REPHVN A FERSHEIM.

Is Perilluſtris, & ob multa præclare facta de Germania immortaliter meriti IOANNIS A STREITBERGER filiam foedere ſibi junxit conjugali. Incidit ejus ætas in triſtiora illa, luætuofiffimi tricennalis belli, tempora, nec ejus expers periculi fuit. Mentem enim animumque, ficu maiores, defixerat in cultu Dei emendato, qui ſacris noſtratribus, cœleſti beneficio inſtauratis, continetur, ab his, ſe eſſe ſecefſionem facturum, negabat, qua de cauſa exſilio multatus, omnibus fortunis, cum feudis exuebatur. Sed haud diu extorris ab patrio ſolo vixit. A Deo enim immortalis, haud ita multo poſt, in cœleſtem patriam eſt receptus A. ſcilicet R. G. cl. 16 cxxiii. Reliquit hic Septem Filios, ex quibus quinque militum munere fungentes, in iſtis, quæ Germania per triginta annos vidit, malis ceciderunt, Sextus, Chiliarcha ſine ſtirpe virili, morbo confumtus, diem obiit ſupremum. Septimus

ARNOLDVS IOANNES SIGISMVNDVS

ab uno fratrum, ejus curam gerente, quod, duodecim annos natus, militiæ nomen dare non poterat, commendatus eſt Principi Viduæ Serveſta-Anhaltinæ MAGDALENÆ, natæ Comiti Oldenburgicæ, Coſwigæ, quæ ſedes Principum Viduarum eſt, commoranti. Eſt hæc laus Sereniſſimis Principibus Serveſta-Anhaltinis propria, ipſos religionis cauſa vexatos clementiſſime ſemper reſpexif.

se, quod ea in primis tempestate, eo paratiori ab illis fiebat animo, quo evidentius divino munere, quod oculis pene cernebant, ab his temporum malis regiones Anhaltinæ protegebantur, & præsidio cœlesti circumsepiebantur. Faciebat hoc beatissimæ memoriæ Princeps Vidua, paternis avitisque orbatum fortunis suscipiens, susceptumque, Oldenburgum, ad Filium, Ad Serenissimum nimirum Principem IOANNEM mittebat. Hic pro ea, qua nullis, fortuna offensis, deerat, clementia, hunc ARNOLDVM IOANNEM SIGISMVNDVM haud vulgari complectebatur amore. Recepit eum in numerum Iuvenum nobilium sibi apparentium, optimisque tradidit magistris, quo omnibus artibus ac scientiis, & homini Christiano & nobili necessariis, imbueretur. His egregie instructus, Serenissimo huic Principi fuit a Consiliis, & præfectura Servestanæ præfectus, vitamque, in hoc dignitatis gradu, locatus, summa cum nominis gloria, exegit. Hic cum se orbatum, Deo ita volente, videret, paternis feudis avitisque, nobilis titulum, consilio deposuit sapientissimo, & loco REPHVN A FERSHEIM se Rephunium appellavit. Reliquit unicum Filium

ARNOLDVM SIGISMVNDVM

Is prout naturam habuit maxime fauricem in tribuendis animi virtutibus, ita Pater omnem curam diligentiamque adhibuit, ut iis artibus instrueretur, quibus juvenilis ætas solet informari. Nomen dedit Academiis, & deinceps peregrinando ea, quæ ad magnæ fortunæ cultum ducere possunt, collegit recte, & sibi seposuit, ut patriæ inferret. His ornatus virtutibus Gloriosissimæ memoriæ Principi Servesta - Anhaltino, CAROLO GVILIELMO, fuit a Consiliis, & vectigalium, quibus Accisæ nomen est, præfectus. Hujus Filius, natu tertius,

IOANNES SIGISMVNDVS

antiquæ ac Perillustriſſis Gentis Rephuniæ, quod Dei Immortalis munus eſt ac beneficium, reſtauravit nobilitatem, avitamque dignitatem. Hic enim non in Academiis ſolum omnibus ſcientiis, quibus magna paratur fortuna, animum excoluit, ſed felici etiam ſuſcepta peregrinatione, prudentiam univerſam, variarumque gentium leges ac conſuetudines, ita perſpexit, ut Serveſtam reverſus, per varios honorum dignitatumque gradus, ad ſummum ſit evectus faſtigium. Fuit enim Feliciffimæ memoriæ Principi IOANNI AVGVSTO, apud quem multum gratia valuit, a conſiliis intimis, in rebus, ad Aerarium ſanctius, ſpectantibus. Perilluſtris hic antiquæ nobilitatis Gentis ſuæ Reſtaurator, duo Feuda in Saxonia emit, WIEDERAVIAM prope Herzbergam, & SANDBERGAM, & quo eminentiora Ejus in Reipublicam ſuæ merita, eo facilius ab Auguſtiſſimo Germanorum Imperatore CAROLO VII. hanc antiquæ nobilitatis renovationem non impetravit ſolum, ſed diplomate etiam ab Imperatore Glorioſiſſimo eſt cautum, ne Ipli & poſteris ſuis eſſet noemento, Parentem & Avum acceptam equeſtrem depoſuiſſe dignitatem. Fulget Perilluſtris Ille vir, eximiis elogiorum honoribus tanto dignior, quanto generoſius illos recuſat, nunc temporis, COTHENIL, & Sereniſſimo Principi eſt a Conſiliis intimis, Aulæque Ejus Mareſchallus & Fiſci Curie Præſectus. Quis eſt, qui ex hac breviori delineatione, quæ, Deo ita volente, antiquæ Gentis Rephuniæ fuerint ſata, non perſpiciat, Deum Immortalem religionis cauſa exſules reſpicere, illiſque, & in primis eorum poſteris centuplici amiſſa ſcœnore reſtituere. Et quis eſt, qui non mecum pro Perilluſtri hac Gente, divinæ providentiæ teſte, preces ac vota coniungat, ut Summus ille Illuſtrium Familiarum & Stator & Conſervator his

ma-

maximis suis beneficiis addat perpetuitatem. Est Præpotens illud & Aeternum Numen, quod tanto certius eam Periklæstri huic Genti largietur, quanto feliciter tres Generosæ indolis Filii, permagnas & cum immortalis Generis gloria copulatas dotes, constanter servant, & felicissime auctas, propagabunt. Hi prout heredes sunt paternarum avitarumque virtutum: ita gratulamur Scholæ nostræ, quæ illos in gremio suo fovit. Dimisit alma hæc mater, ante hos sex, & quod excurrit annos, IOANNEM GEORGIVM SIGISMVNDVM, summa cum laude & faustis omnibus. Hic, gentilitiis excitatus stimulis, in Academiis egregia edidit eruditionis specimina, *) & inter gentes externas, quæ ipsorum sint consuetudines, non perspexit solum, sed publici etiam privati que juris scientiam rerum usu subigere paravit & confirmare. Versatus est eam etiam ob causam aliquandiu Vezlariæ, Vindobonæ, & Regini in summis Sacri Romani Imperii iudiciis, ut ex sententia Augustissimi Regis nostri, Patris Patriæ longe Clementissimi studia sua perficeret. **) Quo fortunatiora autem huic, virtutis adjuncta, in pietate erga Deum, & in exquisitioris doctrinæ studio, quærenti evenient, eo religiosioribus jam votis prosequimur ejusdem generosæ indolis fratrem, Musis nostris valedicentem,

GEORG. LVDOVICVM GODOFREDVM A REPHVN

EQVIEM SERVESTA - ANHALTINVM.

Hic, si quis alius, ex quo in hoc Lyceo nostro est versatus, nunquam dimittere, cujus sit filius, quorum sit nepos, visus est cogitationem. Ostendit enim, eam sanguinis vim, quæ a parentibus hausta, permanat in liberos, & ad quævis magna suscipienda exstimulat. Has animi egregias dotes aluit literarum studiis, quibus vitæ usus perpolitur. Profectus itaque & gene-
re

*) e. g. *Defendit dissert. de AVTONOMIA ecclesie Præsidi IO. GEORGIO WALTHERO Consiliario Saxonico. Vitembergæ cl. h. cc. lv.*

**) *Ibrier Königl. Majest. in Pohlen ꝛc. als Churfuersten zu Sachsen ꝛc. Mandat wegen qualificirung derer in Dienste zu nehmenden von Adel und anderer Personen. Dresden am 13. Octobris Anno 1733.*

Ph 2d 5825

re & ætate sua dignos in linguis & artibus, schola quas docet, fecit. Geographiam, doctrinam de principum insignibus, Genealogiam, quæ manu nos quasi ducunt ad historiam, opera Hospitiæ ac Magistri multum colendi, habet perspectas, & linguam Gallicam bene didicit, ut firmo faris pede, graduque ad Academias eat confirmato. Precamur Deum immortalem, ut in his virtutis industriæ æque campis spatia saluus & incolumis conficiat, & gentilitiæ dignitatis laudem tueatur. Dicit hic, quem sæpius iam bene dicentem audivimus, ultimi speciminis loco, facta Perillustrius Gentis suæ animo reputans, *de fortunatis ob religionis causam exsulibus*, oratione latina, bene composita. Mæcenatibus vero ac Patronis, pium animum ostendet, gratum scholæ Magistri, inprimis Hospitiæ Suo, Lycei hujus Conrectori bene merenti, Gallica oratione

Prodibit deinde Iuvenis, generosa indole egregius, & nascendi fortuna virtuteque ac industria nemini non æqualium par, qui tanto majorem sui omnibus facit spem, quanto insignius eum

& PATER Aeneas & AVUNCVLVS excitat Hæctor, *)

Prodibit, inquam,

IO. GVILIELMVS SIGISMVND A ZESCHAV
EQVES INFER. LVSATIAE

Hic oratione latina *veram nobilitatem esse solam & unicam virtutem*, **) demonstrabit. Hoc facto, nostro, totiusque scholæ nomine, Commilitonem abeuntem faustis omnibus ac votis, ut Deus ejus cœptis prosperos det successus, prosequetur, Auditoribus etiam, pro honorifica præsentia, pium ac gratum animum testabitur.

Agite, Mæcenates, Patroni ac Literarum nostrarum Factores, agite, &, nisi grave sit, perquam Generosis his Oratoribus nostris CRAS, HORA DECIMA AVDTA ANTEMERIDIANA frequentiam præstare actumque illum & nosmetipsos gratia vestra & favore ornate. Hoc a Vobis omni animi religione atque observantia petimus atque contendimus: P. P. LVCCAVIÆ IN LVSATIS ipso S. Michaelis anniversario Sacro A. R. S. clo lo cc lx.

*) Virgil. Aeneid. L. XII, 440. **) Iuvenalis Satyra VIII, 20.

X 2311380




ml





F. K. 102, 2

v. Rehbuhn
V, 374.



DE
PERILLVSTRI GEN-
TE REPHVNIA
BREVITER DISSERIT

ET
MAECENATIBVS, PATRONIS
AC
LITERARVM FAVORIBVS
ORATIONES
A DVOBVS PERQVAM GENEROSIS
EQVITIBVS

PRID. KAL. OCTOBR. A. R. S. CIO IDCC LX̄.
IN LYCEI AVDITORIO MAJORI
HABENDAS
DEMISSE OBSERVANTERQVE COMMENDAT
GOTTLOB HENRICVS SCHMERBAVCH R.

LVBENAE
IMPRESSIT IOHANN MICHAEL DRIEMEL.

